

subter arborem se abjiceret ad somnum capiendum, dicens se spoliolum direptionem et prædam in aliud tempus differre, nonne cæteri milites eum stultum dicerent, et postea irriderent? Cum igitur hoc tam pretioso tempore regnum cælorum nobis diripiendum datum, a diebus Joan. Baptistæ, ut Dominus ait Matth. XI. vim patiat, et violenti rapiant illud, prudentesque omnes festinent cælestes illos thesauros rapere; quæ tua sapientia est, peccator, hoc tempus somno perdere? Neque solum hæc bona negligis, sed insuper debita pœnarum tibi auges, quæ omnino alicubi solves. Ut enim pecuniæ sub fenore acceptæ, nisi mature restituatur, quotidie debitum augent; sic et peccata, quæ non mox per pœnitentiam delentur, graviores pœnam merentur, et facile ad alia trabunt, unde usuræ pœnarum quotidie crescunt. Hora est igitur, etc.

III. Hostium nostrorum insidiæ. Horum alii intra nos sunt, peccata videlicet, quæ obsident conscientiam, et perpetuis quas bombardarum ictibus quatunt et exagitant, arguendo, condemnando, flagellando, quo supplicio in hac vita nullum atrocius esse videtur; nec alia via est tranquillandi hostes illos, nisi per pœnitentiam. Ad hos accedunt hostes externi, dæmones siquidem ipsi in vinculis retinent peccatorem, et nihil magis desiderant, quam ut e vitæ statione confestim expellatur, vel potestas sibi a Deo detur illum occidendi, ne aliquando iterum eis elabatur. O si cerneret peccator quales triumphos super ipso edant, quæ tripudia ducant, quam solertiam adhibeant, ut eum vinciant et perdant! Totus utique tremere et statim a somno exiliret. An nescimus quid evenit Samsoni? Postquam is a Dalila illectus (licet sciret Philisthæos sibi necem machinari) dormivit super genua ejus, mox Philisthæi ipsi infensissimi circumsteterunt, ut captum et ligatum abducerent. Ubi enim Dalila rasit ei caput, et per hoc ademit vires, cæpit eum abigere et a se repellere ac clamare: *Philistiim super te, Samson*. Quem mox apprehensum Philisthæi, erutisque oculis clausum in carcere, molam circumagere coegerunt. Jud. XVI. Ad eundem modum postquam peccator mundi illecebris irretitus dormit in peccatis, circumstant eum undique mali genii; et primo quidem spoliunt casarie virtutum, ac per consequens resistendi fortitudine, deinde excæcant et abducunt in gehennam. Et quam facile contingit, ut mundus illum repellat et ad mortuos efferat? Væ tibi tunc peccator, quia *Philistiim super te*: quorsum putas te abducent; nisi in carcerem gehennæ, ut ibi perpetuam pœnarum interminabilium circumagas molam? Utrumque hoc genus hostium insinuant nobis Apostolus in epist. hodierna, cum ait: *Abjicia-*

mus opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Quid opera tenebrarum, nisi peccata? Ad quid arma lucis, nisi contra dæmonum insidias?

IV. Propinquitas mercedis promissæ, *Quia prope est jam nostra salus*: quo eodem argumento usus est Christus et Joannes, cum dixerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*. Appropinquavit autem primo, quia nunc post Christi adventum parum distamus a regno cælorum, et jam quasi fines patriæ nostræ in peregrinatione nostra attingimus, partim quia non plus absumus a regno cælorum, quam ab ipsa morte; siquidem cælum jam clave crucis Christi reseratum est, et si nihil purgandum restat, statim illuc evolare possumus, quod non potuimus cum olim credidimus, id est, non potuerunt illi Patres, qui Christi mortem præcesserunt, quorum alii centum, alii mille, alii plures annos in limbo expectare debebant; partim quia nunc non tandiu vivimus, quam olim veteres Patres, quorum aliquid ad nongentos et amplius vixerunt annos. Jam ergo, si filius ab externa natione in patriam revertens, alacrius procedit, et quasi novas vires sumit si equi licet fatigati currere incipiunt, cum stabulo suo appropinquant; necnon et lapides tanto celerius descendunt, quanto viciniore centro suo fiunt: si hæc, inquam, a natura sic comparata sunt; annon decet ut homines Christiani a somno et torpore peccati surgant, novasque vires sumant, tanto festinantius ad beatitudinem currendo, quanto eapropior est? Certe cæli cives qui ad patriam illam anhelabant, quo magis accedebant ad mortem, tanto instantius Deo serviebant et alacrius procedebant. Sed cur hoc argumentum non movet peccatorem? An quia ipse cæli civis non est, ideoque ad patriam illam non aspirat, sed mundi civis esse mavult? Ita vereor profecto; sed cum nemo civis mundi esse perpetuo queat, utrumque tandem perdet cælum et mundum: quemadmodum Judæi, qui ut ait S. Augustinus tr. XLIX. in Joannem *Temporalia perdere timuerunt* (quando videlicet dixerunt: *Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem*) et vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. S. Gregorius I. V. moral. c. III. ait: *Qui thesaurum effodientes quærent, quanto fiunt viciniore ad finem, tanto se exhibent ardentiores*: prope est thesaurus absconditus in agro cæli, quem invenire per pœnitentiam potest peccator et brevi obtinere. Cur ergo non præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum? Sed nimirum plerique fodiunt pro thesauro suo, non sursum sed deorsum. Fodiunt in terra, et in terra thesaurizant: inde fit ut erga cælestem thesaurum nihil afficiantur. Sed advertant illi, ne fodiunt ad infernum us-

que; non enim propior est salus justis, quam perditio peccatoribus. Quod si igitur eos non movet ad conversionem propinquitas thesauri cælestis, moveat saltem propinquitas gehennæ.

Secundo. Appropinquavit regnum cælorum et propior est jam nostra salus, quia nunc Dei gratia et misericordia, adeoque regnum Dei, quod Dei gratia emitur, liberalissime nobis offertur, ita ut Christus Luc. XVII. quærentibus regnum Dei, responderit: *Ecce regnum Dei intra vos est, hoc est in manu et potestate vestra est*; siquidem gratiam meam liberaliter vobis offero, quam si in vobis habueritis, habebitis etiam in vobis regnum Dei: propterea tempus novæ legis, tempus gratiæ vocatur, quod in eo liberalius gratia erogetur et facilius obtineatur: quemadmodum enim in fine nundinarum omnia communiter viliori emuntur pretio; ita et in hoc tempore novissimo. Hoc indicat Apostolus, cum ait: *Hoc scientes tempus* (in græco textu, opportunitatem). Quid ergo dubitas, o peccator, surgere a somno? Num quia Deum abnegasti? Atqui et Petrus abnegavit et ad gratiam rediit. Num quia hominem occidisti? Atqui latro etiam gratiam et paradysum apud Christum invenit. Num quia adulter fuisti? Atqui fuit etiam adultera mulier illa, quæ dicentem sibi Christum audivit: *Nec ego te condemnabo, vade et jam amplius noli peccare*. Joan. VIII. Num quia mammonæ addictus fuisti? At fuit etiam hujusmodi Matthæus et Zacchæus, ambo in filios et amicos a Christo recepti. An quia persecutor Ecclesiæ et blasphemus? Habes socium S. Paulum, qui et ipse talis cum fuisset, misericordiam consecutus est.

V. Præsentis temporis et futuri calamitas, in quem sensum intelligere possumus, quod Apostolus in hodierna epistola dixit: *Et hoc scientes tempus, quia hora est, etc.* Pueri cum virga solent excitari. Hoc medium adhiberi his temporibus a Deo ad nos excitandos quis non videt? Jeremiam prophetantem interrogabat Deus c. I. Jer. *Quid tu vides Jeremia?* Et ille: *Virgam vigilantem ego video*. Cui Dominus: *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud*. Hoc est, juxta versionem Chaldæi: Vidisti regem Chaldæorum, quo utar ad castigandum populum meum; quia enim ipse dormit in sceleribus suis, vigilabo ego super illum et excitabo eum cum virga non dormiente. Quid agit aliud nunc nobiscum Deus? annon cernimus super nos vigilantem virgam belli, famis et pestis? Et cur hæc super nos vigilat; nisi quia nos dormimus? Dormiret utique illa si nos vigilaremus; quia vero dormimus, idcirco ipsa vigilat. Cum filius tardat e lecto surgere, ostendit ei pater virgam prope lectum excubantem; et puer exsilit e lecto, alioquin virgam non visurus tantum,

sed etiam sensurus. Multos jam populos in peccatis dormientes castigavit non ita pridem acriter Deus ut castigat etiamnum. Ostensa est tantum nobis hactenus hæc virga, sed quia adhuc dormimus et profundius indormimus, timeo ne brevi insiliat in dorsa nostra. Nemo sibi blandiatur, nemo se decipiat: non obdormiet virga ista, sed semper magis ac magis vigilabit, nisi vigilemus nos. Idcirco post virgæ visionem vidit mox Jeremias ollam succensam, hoc est, vindictam Dei graviores, quam medio Nabuchodonosore succendere et vastare decreverat Jerosolymam. Hunc igitur in modum, si ad virgæ castigationem nondum surgimus, timendum ne ollam furoris sui effundat in contumaces, eosque tandem præcipiet in vulcani ollam, quemadmodum fecit Theodorico regi apud S. Greg. I. IV. dialog. c. XXX. Hic enim cum Joannem Papam et Symmachum patricium iniquissime necasset, flagellatus primo est objugante conscientia, quando appositum est ad mensam grande piscis caput liante rictu; perterritus enim putabat se videre caput Symmachi occisi. Hinc mœrore occupatus in lectum concessit, et paulo post mortuus est, quem sanctus quidam et solitarius vir in insula Liparitana agens, vidit discinctum, et discalceatum, vinctisque manibus deduci et jactari in vulcani ollam, ignem continuum evomentem, apud Barron, anno 526. Quæ visio utique contigit propter impœnitentes, ut illius exemplo cautiore facti respiscant. Sane videtur hoc tempore infernus os suum aperire ad deglutendos impios, dum tot malis castigamur, nec inde tamen emendamur, sed cum Theodorico illo potius ad pristinum vitiorum lectum concedimus. Quid aliud igitur superest, nisi ut impœnitentes in ollam illam mergantur? Ac nisi per pœnitentiam eripiamus Deo virgam, væ nobis, quia non mentita est veritas dicens: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, Luc. XIII. Evigilemus igitur, auditores, et cum pastoribus illis custodiamus vigiliis noctis, ut digni fiamus dominica visitatione. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem*.

CONCIO II.

TRIBULATIONES MORIENTIUM ET EARUM REMEDIA.

I. Spes longioris vitæ. — II. Timor judicii. — III. Amor erga res creatas. — IV. Dolor infirmitatis.

THEMA.

Erunt signa in sole, et luna, et in terris pressura gentium. Luc. 21.

Hodiernum Evangelium videbitur forsitan alicui ad nos nihil pertinere, eo quod de die judicii extremi solummodo loquatur. Sed isti

multum errant, siquidem Ecclesiastes c. XII. hæc quæ prædicat in Evangelio Dominus Microcosmo senescenti: eadem fere prædicat eventu- ra cuius homini seu Microcosmo morituro. Christus ait de mundo, fore signa in sole, luna, et stellis, etc. id est, ea obscuranda. Similiter Ecclesiastes ait de homine: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent; antequam tenebrecat sol et lumen et luna et stellæ, etc.* Ergo ista signa etiam nos sensuri sumus. Et sane nisi ad nos etiam modo aliquo pertinerent, ea nobis tam serio et accurate non puto descripsisset, qui optime sciebat nos ad ultimum iudicii diem minime victuros. Videbimus igitur, ne quis dubitet hæc omnia in agone mortis, qui non minus timendus est, quam iudicium extremum; siquidem hoc ab illo pendet, et qualem quisque habuerit e vita exitum, talem habebit ad iudicium reditum, ut de quovis Christiano dici queat quod Angeli illi de Christo ascendente dixerunt: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, sic veniet.* Ita enim expresse ait et exponit S. Augustinus Psalm. illum XLVIII. *Cur timebo in die mata? Iniquitas calcanei mei circumdabit me, q. d. si malus fuerit vitæ meæ calcaneus, mala etiam erit dies illa; unde potius timendus vitæ exitus. Quod si in diem mortis bene armatus fueris, eris et in diem iudicii: sin vero non, actum est etiam in die illo. Itaque videndum quæ sint potissimum tribulationes morientium, et quomodo superandæ, Matth. VII. Servator noster dixit virum sapientem ædificare domum suam supra petram, ut cum flaverint venti, immota persistat, virum vero stultum ædificare super arenam, et flatu ventorum dejici domum illam in hora mortis, si unquam alias flabunt venti tribulationum, et oppugnabunt domum cordis nostri; ibique apparebit, quo in fundamento illam statuerimus.*

Sunt autem quatuor præcipue venti, qui irruunt in domum illam, et recte conferri possunt cum quatuor illis ventis Dan. VII. qui pugnabant in mari magno, scilicet: Spes vitæ longioris adempta: Timor iudicii: Amor creaturæ: Dolor mortis.

I. Erunt signa in sole, hoc est, ut Matthæus explicat, sol obscurabitur. Obscurabitur, inquam, tempore mortis, cum audies e medico vel sacerdote quod audivit a Propheta Isaia rex Ezechias: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives*: quando videbis decedendum tibi esse, cum adhuc non putabas. Hoc enim sensu Amos cap. VIII. dixit: *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus; occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis. Et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia*

*cantica vestra in planctum. Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium. Quem locum mystico sensu explanans Ribera inquit: Solis occasus recte mortem significat, quæ peccatoribus inexpectata sæpe advenit, sicut de die iudicii ait Dominus Luc. XXI. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Et hoc est solem occidere meridie. Et tunc vertetur festivitas in luctum, et omniacantica in planctum, quia cum tu proponebas ire ad festivitates, nuptias, amicos, etc. videbis tibi fenestras claudi, ad medicum et confessarium mitti, audiesque circa te planctum liberorum et amicorum; deinde parabitur tibi saccus quo insuaris, et cum tu adhuc plurima perficere cogitaveris, erit occasio calva. O qualis ictus erit ille, cum eo tempore, quo te in meridie primum ætatis esse, et multos adhuc annos victurum sperabas, cum de lucris, honoribus, nuptiis, ædificiis, deliciis cogitabas (hoc enim est occidere solem in meridie) intelliges de morte tibi potius, quam de vita cogitandum, deserendum jucundissimum solis lumen, æternum valedicendum omni creaturæ, omnibus hominibus beatam noctem optandam, quos ad extremum iudicii diem non es amplius visurus! Sane Ezechias rex post illam mortis denuntiationem *Convertit faciem ad parietem, et flevit fletu magno*, IV. Reg. XX. rex alio qui tambonus et pius, cœpitque Deum precari pro vitæ suæ prorogatione. Vir fortis et strenuus erat Saul rex Hebræorum, multis præliis interfuerat, multos homines occiderat, et multa præclare gesserat; ubi tamen a Samuele sibi post obitum apparente audivit: *Cras tu et filii tui mecum eritis*, tanto horrore percussus est, ut caderet *Porrectus*, et velut exanimatus in terram, I. Reg. XXVIII. Eiusmodi nuntius quemlibet nostrum expectat, venitque ordinarie, cum minime expectatur. *Væ autem prægnantibus in illa die*: Væ illis, inquam, qui adhuc plurimos dies sibi pollicebantur, et plurima adhuc perficere sperabant! Hi enim, o quam coincident animis, cum furem intra domum cernent, et mortem foris pulsantem audient! Prægnans erat dives ille Luc. XII. qui dicebat: *Destruam horrea mea, et majora faciam, et illic congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, quiesce, comede, bibe, et epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, et quæ parasti cujus erunt? Stultus vocatur, quia promisit sibi dies multos, qui non erant in ejus potestate: *Hac nocte*, inquit, quia veniet mors cum tu in quiete eris et dormies quasi securus; *Repetent a te animam tuam*, quia vi extorquebit severus exactor, quando tu ægerrime dabis animam: *væ igitur istiusmodi***

prægnantibus! Quam multa a multis tentantur, ut retardent vel prorsus retro agant solis occasum tam repentinum? Quam multa expenduntur in medicos et pharmacopæos? Quam optatur sæpe cum Josue: *O sol contra Gabaon ne movearis? O sol ne prius occidas, quam meis rebus et saluti providero; negotia mea omnia composuero; juventutem meam jucunde transegero: sed frustra.* Gravis igitur est hæc morienti tribulatio, sed quid remedii in tempore illo? Utique facere ex necessitate virtutem; ut quod vitare nequis, prompte et hilariter acceptes, tamquam Dei voci obediens. Unde Cyprianus de mortalitate c. VII. ait: *Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam præposterum est, quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat et accersit nos Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus? Obnitimur et reluctamur, et perveracium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia et mœrore perducimur. Exeuntes isthinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis, et volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus invitati. Non hoc est, quod ipse nobis commendavit, cum dixit: Ut similes esse- mus servis expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Hæc Cypr. Venit Dominus, ait S. Greg. hom. XIII. in Evang. cum ad iudicium properat, pulsat vero cum jam per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat: cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudicii pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, Iudicem formidat.*

II. Erunt signa in luna: quia ut Matth. explicat, *Luna non dabit lumen suum.* Qui interdum ambulans ab occasu solis et nocte ingruente prævenitur, hoc solatii habet, ut de nocte ambulans saltem lunam speret sibi affulsuram, ne ab itinere deviet, aut in præcipitium ruat: sine hoc enim lumine ambulare tristissimum est et horridum. In articulo ergo mortis etiam luna obscurabitur. Deficiente enim vita et occidente sole, ibis nocte obscurissima, per viam tenebrosam, quam nunquam ambulasti, nescis quo inventurus sis, propitiumne an iratum Deum inventurus; atque ita tibi in illo articulo luna non dabit lumen suum. Et si absque horrore nemo ambulat nocte obscura, quanta erit afflictio morienti, cum solus incognitam, longam et obscurissimam viam ambulare debet? Audi Chrysost. serm. de Patientia. *Moriturus, inquit, cunctos salutat, donec suæ mentis dominus est, donec lingua loqui poterit, dicens: Valet, amici mei, et*

Deum pro me exorate. Iter enim perago extraneum, quod nunquam ambulavi, et in regionem longinquam quam nunquam vidi, et in alterum sæculum unde nullus reversus est, et in mansiones metuendas, ad quas nullus me comitatur, et ante iudicem terribilem, ubi nescio quid mihi contingat. Ecce quæro adiutorem, et nullus est, qui eripiat; quæro qui me comitetur, et nullus mihi compatitur. Hæc ille. Aristoteles etsi gentilis moriens dixisse fertur: *Dubius vixi, anxius morior, nescio quo vado, Ens entium, miserere mei.* Quid? Si certo scivisset, se ad tribunal Dei pergere, de quo nos Christiani non dubitamus? Moriens Christianus statim in illam æternitatem oculos figit, et in ea mox seu felicitatem seu miseriam sempiternam inveniri novit, nescit tamen utra sorssibi evenitura sit, unde non potest non maximo metu concuti, et plus timere quam sperare, tristari quam gaudere. Cujus rei figura erat Balaam asina vectus, Num. XXII. Cum enim in angustiis duarum viarum Angelus evaginatus gladio ei obsisteret, asina quæ Angelum cernebat, progredi reluctatur, et alio divertere conatur; Balaam contra, quia non Angelum, sed viam tantum vidit ante se apertam et planam, percutere animal et ad progressum stimulare: sed horret asina, et jungens se parieti, pedem sessoris atterit, tandemque sub ipso concidit, ac loqui et lamentari incipit, donec tandem etiam ipsi Balaam aperientur oculi ad videndum Angelum; tunc enim vidit quam merito horruerit asina. Balaam designat spem, quam sæpe niam nobis ipsi facimus, quasi aperta et plana sit nobis ad salutem via; asina vero timorem iudicii et incertitudinem salutis. Hæc enim coram te iudicem districto videt gladio, cumque in angustiis duarum se cernit viarum, beatitudinis nimirum et damnationis, quomodo non potest non horrere et trepidare? Et licet spes animet et timorem stimulet, iste tamen horrere non desinit, quia videt, quod spes non videt. Ad hæc timor est magis naturalis quam spes, ideoque trahit ad se totam cogitationem. Et ita demum pedem, id est, finem hominis vehementer torquet; quomodo enim non maximopere angustiabitur anima, in bivio gloriæ et gehennæ constituta? Erigit quidem spes animum, recordatio tamen peccatorum et rigor divinæ justitiæ deprimit, quia *Judicia Dei abyssus multa*, et cor hominis soli Deo cognitum est. Unde non dubium quin longe prævaleat timor. Propterea etiam sancti viri, qui vix habebant quod metuerent, in morte metuebant. S. Bern. ser. LVI. in Cant. aiebat, sponsum prope quidem esse sponsæ, quæ uno tantum corporis pariete ab illo dividitur, et propterea cupit dissolvi, et rupto medio pariete, cum illo esse, quem post parie-

tem statim esse confidit. *Ego autem, inquit, quoniam peccator sum, dissolvi non cupio, sed reformido, sciens quia mors peccatorum pessima. Formido exire et in ipso contremisco portus ingressu; dum non confido prope assistere, qui excipiat exeuntem.* Abbas Agatho Ægyptius cum et ipse mortem timeret, hanc sui timoris causam edixit: *Multum a iudiciis hominum Dei iudicium differt; illi enim, etiam quæ damnationem merentur, bona iudicant nonnunquam; Dei vero iudicia abyssus.* Similiter S. Hilarion cum morte luctans, dicebat: *Egredere anima mea, egredere, quid times; septuaginta annis servisti Deo, et mori times?* refert Hier. in ejus vita. Et nonne hic erat Hilarion, qui olim in latrones mortem sibi minitantes incidens, respondit mortem non timeri ab eo qui paratus est mori? Quid igitur nunc moriens timet? Profecto si jam non timemus iudicium, timebimus tamen in articulo mortis: et si modo cum Balaamo Angelum Michaellem nobis obviaturum districto gladio velut remotum, non videmus, videbimus tamen vicinum, cum concideritasina corporis nostri in lethalem morbum, tunc aperientur oculi nostri. Sed quid remedii in tanta illa angustia, et viæ obscuritate? Præcursor Domini per totum hunc adventum clamat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Cum enim de nocte ambulas in mediis tenebris, dummodo scias planam esse viam et rectam, jam securus ambules. Suadet igitur Joan. ut dirigamus per pœnitentiam et complanemus nobis viam mortis, quæ ad iudicis adventum ducit. Et hoc fiet; cum omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; id est, cum omnia salutis impedimenta per pœnitentiam removebis. Sic erit via plana, et ut Job. c. XI. ait: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia; tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis.* Levate scilicet, quo modo hodie dicitur: *Respicite et levate capita vestra.* Neque dubitare debes etiam tunc acceptam fore Deo tuam pœnitentiam, quia primo ipse dixit, per Ezechielem c. XVIII: *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Secundo, quia paterfamilias noster non exiit tantum primo mane et meridie vocare operarios, sed etiam vespere, undecima et ultima diei hora; etsi tunc optius te vitia, quam illa tu, relinquere videntur. Nam etiam latro in cruce non tam reliquit furta, quam relictus est ab eis; et tamen Christus acceptam statim habuit ejus pœnitentiam, ut et te animaret. Tertio, quia ipse jubet nos nunquam desperare veniam. Quarto, quia propterea præcepit et ordinavit morituris maxime Sacramenta con-

fessionis, communionis, unctionis; ut intelligeremus hæc Sacramenta semper efficacia esse, et se per hæc omni modo cupere promovere nostram salutem. Ad quid enim tot remedia nobis ordinaret cœlestis Medicus, si inefficacia forent aut sera nimis?

III. Erunt signa in stellis, secundum Matthæum: *Stellæ cadent de cœlo*: hoc est, abscondent et detrahent splendorem suum, sicut dicitur Joelis III. Vel ut alii explicant, inflammata exhalationes et fulgura de cœlo cadent et micabunt, velut cum nocte putamus stellas se emungere et partes aliquas ignitas dejicere. Stellæ noctis delicæ, delicias hujus sæculi obscurissimi repræsentant, et has pariunt tibi primo divitiæ, dignitates et voluptates; secundo amici, parentes, liberi, cognati, noti; tertio corpus proprium, ejus robor, venustas, juvenus, nobilitas, etc. Hæc sunt solatia mundanorum ambulantium de nocte. Inter stellas, seu potius constellationes, sunt Venus et Virgo, Mars, Canis et Lepus, Lyra, Gemini, Cancer, Taurus, Pisces, etc. quia talium rerum similitudinem aliquo modo repræsentant. Hæc eadem suo modo reperiuntur et in terra, quibus homines delectantur et putant quodammodo in his consistere cœlum suum. Sed morte per ægritudinem pulsante, hæc omnia retrahent splendorem suum, calorem, influxum, quia subtrahent tibi tunc solatium, quod olim afferebant. Venus et amasia te deseret, amici et noti vix invisent, hastiludiis et venationibus nequaquam adesse poteris, nec crateres exhaurire. Cithara et Lyra te non recreabit, etc. Clarissima hæc lumina omnia obscurabuntur, et quæ antea summam tibi afferebant lætitiâ, postea te cruciabunt et carniſices tui erunt. Dilecta conjux, dulces liberi, jucundi amici, præstantia vina, lautæ epulæ, ingens thesaurus, et aurea, argenteaque suppellex, honores et voluptates, olim sola mentis cogitatione te recreabant, solo aspectu, solo auditu; tunc tibi cruces erunt, quia relinquentur. Hinc prudens uxor et dulces liberi eo tempore a conspectu patris solent recedere, arceri convivia et musica, amoveri delectabilia, ne præsentia sua affligant morientem. Unde verissime Ecclesiasticus cap. XLI. inquit: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Expertus fatetur Agag, rex ille pinguissimus, qui mox interficiendus dixit: *Siccine separat, amara mors?* I. Reg. XV. Sed quid in his remedii? Quod Christus discipulis præscripsit Matth. X. ut exeuntes de domo in qua accepti non sunt, excuterent pulverem de pedibus in testimonium, quod nihil e domo efferre voluerint. Similiter et tu si bene et suaviter mori cupis, excute de pedibus, id est, ultimis vitæ tuæ diebus, pulverem ter-

renorum affectuum et concupiscentiæ erga res omnes creatas. Non frustra dicitur Diabolus insidiaturus calcaneo nostro, id est, fini vitæ: advertet enim sedulo, num te pulverem aliquem ejusmodi tecum e mundo efferas, ut te quasi furem et mundi amatorem comprehendat spoliisque. S. Hilarion a latronibus comprehensus et interrogatus an timeret, dicebat: *Nudus latrones non timet.* Ita etiam qui a se abjicit omnem affectum inordinatum erga res creatas. Dæmones in illo die non timet, quia non habet unde teneri queat. *Vestitus autem quispiam cum altero luctans citius ad terram dijicitur,* ait S. Greg. hom. XXXI. in Evang. *quia habet unde teneatur.* Transcribe igitur eo præsertim tempore omnia Domino Deo cum Job, et dic: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Incipe ea, Salomone tandem resipiscente, odisse et cognoscere quod aliud non sint, nisi vanitas vanitatum. Huc fecit, quod suadet Dominus: *Qui in tecto est non descendat in domum tollere tunicam suam: qui in agro, non revertatur tollere aliquid de domo;* id est, qui jam in fuga mortis est, non se retardet his nugis, ne impeditus capiatur.

IV. In terris pressura gentium, id est, in corpore ingentes dolores, plures morbi supervenientes. Terra enim corpus est, gens, mors et vita sunt: qui in moriente confligunt atrocissimo duello. Cum Rebecca uterum ferens magnis teneretur doloribus et colliderentur in utero ejus infantes, Jacob et Esau, consuluit super hæc re Deum, qui dixit: *Dux gentes sunt in utero tuo et duo populi: et major serviet minori.* Gen. XXV. Ita in agonizante pugnans mors et vita: hæc conservari nititur, illa eam expugnare conatur; et oritur hoc prælium ex fœtibus, id est humoribus inter se pugnantibus, in auxilium vitæ vocatur medicus et omnis generis pharmaca: sed quidquid tandem sit, *Major serviet minori;* id est, vita cedet morti. Præmetur tunc spiritus in corpore, quomodo premitur civitas obsidione, donec cives eam deserant. Ducitur vallum in circuitu, ne commeatus inferri queat, aqua avertitur, mola destruuntur, deinde muri et turres tormentis quatiantur, ignei globi ædibus inflammandis injiciuntur. Ita in ægro appetitus perditur, aqua, vinum, et quæ gustui placerent, interdiciuntur, dentes molere nequeunt, ossa et nervi debilitantur potionibus et clysteribus, inflammantur sanguis et membra, atque ita tandem deserere castrum suum cogitur homo, et sicut ingenti matris dolore natus est in mundum, ita maximo dolore iterum egreditur. Interea intumescit pectus, vox raucescit, oculi cavantur, genua frigescent, pedes moriuntur, vultus pallescit, et omnia membra frigidum sudorem emittunt: in summa adeo torquetur homo, ut aliqui petierint inter-

fici uti Saul, alii seipos interfecerint, ut conatus est Herodes vermibus scatens, alii præ dolore exclamarint, ut Clotarius Franciæ rex, qui cum acuta febris torqueretur, vociferatus est: *Vah quid putatis? Qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos reges interfecit?* Greg. Turonens. apud Baron. A. 565. Quid igitur faciendum homini tantis in angustiis? Sane patiendum tibi est; sed, ut levior sit pressura, propone tibi exemplum Christi, qui Petro volenti impedire ejus passionem dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? An putas quia non possum rogare Patrem meum, etc.* Amarissimum illum passionis suæ calicem acceptavit velut a Patre sibi propinatum, licet a Judæis et dæmone mixtus illi esset; et cum facillime posset ab eo liberari, noluit, nec admisit nisi unum Angelum se confortantem. Accepta igitur et tu calicem mortis tuæ, et ambabus amplectere manibus. Novit enim Deus quid tibi maxime prosit. Si a medico haud gravitate acceptas sirupos, venæsectiones, ustiones, etc. cur non et ægritudinem a cœlesti medico tibi præscriptam? Novit ille te purgatorium non effugitum, ideoque offert tibi hic mitiorem calicem, qualem obtulit Latroni bono, qui per crucem suam purgatus eodem die cum Christo meruit esse in paradiso. Quis non malit cum illo pati volens, quam cum nequam Latrone nolens? Tanta esse potest tua crux et patientia, mox ut ad cœlum evoles. Quod si Dominus voluit promereri gloriam per calicem mortiferum, qui mox in curru igneo potuisset in cœlum sicut Elias ascendere, quanto magis decet, ut simili modo tuam merearis!

CONCIO III.

PRODROMI SEU APPARATUS JUDICII EXTREMI.

I. Signa prævia: 1º in cœlo, 2º in igne, 3º in aere, 4º in aqua, 5º in terra, 6º in hominibus, 7º in bestiis, 8º in Dæmonibus. — II. Ignis conflagrationis, qui: 1º dissolvit mixta, 2º purgabit electos, 3º mundum expiabit. — III. Resurrectio mortuorum, in qua: 4º convocabuntur mortui, 2º confluent in corpora sua cineres, 3º congregabuntur omnes ad vallem Josaphat.

THEMA.

Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. XXI.

In vita S. Henrici imp. legimus sanctum illum, cum Bavariæ dux esset, orasse aliquando ad sepulchrum S. Wolfgangi Ratisbonæ, magistri quondam sui, multisque votis sancto illi præsulî se suaque commendasse. Qui in oratione visus est illi ad stare præsul, monens ut vicinum tumulo parietem aspiceret, legeretque exaratas ibi litteras; scriptum erat: *Post Sex.* Henricus hac scriptura mortem sibi denuntiari autu-